Aug 1551

Friedrich August Krauß
1806.

Der kleine
Lateiner
für
das Augspurgische Gymnasium.

Herausgegeben
von
M. Hieronymus Andreas Mertens,
Rector des Gymnasii zu St. Anna.

Zweyte vermehrte und veränderte Auflage.

Augspurg, 1783.
Bey Kletts Wittwe und Franck.

STADTBIBLIOTHEK AUGSBURG

I.

Religionsgespräch.

1. Erat Lipsiae 1) puer quidam 2) pius, nomine 3) Christophorus. Quoniam is 4) valde diligens & probus erat 5), ideo amabant 6) eum 7) parentes & praeceptores eius 8);

 ac

1) Genitivus primae Declinationis singularis Numeri; Deutsch, zu oder in Leipzig. Regel: Die Namen der Städte stehen ohne eine Präposition im Genitivo, wenn sie primae oder secundae Declinationis und singularis Numeri sind. 2) Ein Pronomen, geht wie qui, quae, quod. Prodromus, Seite 58. 3) Ablativus tertiae Declinationis singularis Numeri: Prodromus, Seite 107. 4) Ein Pronomen dreyer Endungen masculini, weil es auf puer geht. Prodromus, Seite 57. 5) Verbum Substantivum, Indicativus Modus, Imperfectum tempus, singularis Numerus, tertia Persona. Der Infinitivus heißt esse; Prodromus, Seite 63. 6) Imperfectum: die Endung bam, bas, bat, bamus, batis, bant. zeigt das Imperfectum Indicativi an; Prodromus, Seite 65. 7) Accusativus Pronominis is. ea. id; Prodromus, Seite 57. auf die Frage: Wen? 8) Genitivus, auf

ac omnes boni viri 9) in 10) ea celebri urbe 11) illum 12) amabant. Hic 13) aliquando cum forore exibat 14) in campum 15) confiderans 16) ibi prata, flores, arbores, fruges in agris, pifces in aquis, aves in aëre & folem in coelo. Tum dicebat fororculae 17): hae omnes

auf die Frage: Wessen? Prodromus, Seite 57. 9) Nominativus Pluralis, Mafculini generis; Prodr. Seite 10. Omnes ist ein Adjectivum zwoer Endungen, omnis, omne; nach der dritten Declination. Prodr. Seite 13 und 48. 10) Eine Präposition, die einen Ablativum zu sich nimmt, auf die Frage: Wo? 11) Ablativus fingularis, tertiae Declinationis, generis feminini, Vrbs. Darnach richtet sich das Adjectivum, celebris celebre, volkreich, und das Pronomen is, ea, id. 12) Pronomen relativum bezieht sich auf puer; Prodr. Seite 57. 13) Pronomen demonftrativum generis mafculini. Prodrom. Seite 57. 14) Der Infinitivus exire geht wie eo, ivi, itum, ire; Prodr. Seite 108. 15) Accufativus fingularis fecundae Declinationis von Campus, wegen der voranstehenden Präposition in, die hier einen Accufativum zu sich nimmt, auf die Frage: Wohin? 16) Participium Praefentis, oder auch Imperfecti, verbi activi, confiderare; wie amare. Es wird mit und aufgelöst: und betrachtete. Die lateinische Sprache hat die Art, daß sie die vielen Participia, woran die deutsche Sprache Mangel hat, hinauswirft, welche aber im Uebersetzen wieder hinzugethan werden müssen. 17) Dativus primae Declina-

omnes res, o mea, [18] a [19] Deo ſunt creatae, [20] & is eſt noſter pater, qui [21] me & te amat, qui cibum praebet [22] & veſtimenta, quique [23] nos miſeros tuetur. Hic eſt verus Deus, & non eſt Deus praeter [24] eum. Cum [25] ita loqueretur [26] probus puer, accedit [27] ad

 [28]

clinationis ſingularis Numeri, auf die Frage: Wem? Der Nominativus heißt ſororcula. Iſt ein Diminutivum, welches eine Verkleinerung, und eine Liebe zugleich zeigt, wie im Deutſchen: Schweſterchen. 18) Vocativus ſororcula iſt ausgelaſſen. Mea iſt ein Pronomen regulare, generis feminini: Prodr. Seite 54. Meus heißt nicht blos mein, ſondern mein lieber. 19) Präpoſition, die einen Ablativum regiert. 20) Paſſivum. Indicativi Modi, Perfecti temporis, creor, creatus ſum, creari, nach amari. Wegen res, ſo ein femininum iſt, heißt es creatae, weil die Paſſiva ihre Perfecta auch nach dem Genere, wie ein Adjectivum richten. 21) Pronomen relativum; Prodr. Seite 58. 22) Von praebere, Praeſens Indicativi, praebeo, es, et. 23) Qui iſt ein Pronomen. Que heißt und, welches ohne Veränderung an die Wörter angehängt wird. 24) Eine Präpoſition die einen Accuſativum erfordert. 25) Eine Conjunction, die hier einen Coniunctivum regiert, weil ſie eine Gelegenheit und einen Zufall anzeiget. 26) Verbum Deponens tertiae Coniugationis. Coniunctivi Modi, Imperfecti temporis, ſingularis Numeri, tertiae perſonae; Prodr. Seite 87. 27) Von dem Verbo accedere, welches ein Compoſitum iſt; das ſimplex heißt cedo, ceſſi, ceſſum, cedere. Siehe

das

28) eum praeceptor, qui verba eius post 29) fruticetum audiverat. 30) Hic dicebat: Salve, 31) mi 32) Christophore! Iuvat 33) me 34) pietas tua, 35) quod cogitas & loqueris cum sorore de 36) Deo. Alii enim garriunt 37) de ludis, de rebus frivolis & malis: tu vero loqueris cum 38) sorore de Deo. Hoc mihi est voluptati. Respondebat Christophorus: quaeso 39) te,

das große Vocabularium Seite 36. 28) Eine Präposition regiert einen Accusativum. 29) Eine Präposition regiert einen Accusativum. 30) Prodrom. Seite 91. 31) Ist ein Verbum, welches nicht alle Modos hat; nur Imperativum und Infinitivum, deutsch: sey gegrüßet, oder auch guten Tag, guten Morgen. 32) Prodr. Seite 54. der Vocativus heißt mi. 33) Praesens Indicativi von Iuvare; nach der ersten Coniugation. 34) Pronomen Irregulare, singularis Numeri, Dativus, auf die Frage: Wem? Der Nominativus heißt ego; Prodr. Seite 56. 35) Prodr. Seite 55. pietas ist ein femininum, warum? Prodr. Seite 24. 36) Eine Präposition regiert einen Ablativum, wie a, welches auch von heißt, aber andere Bedeutung hat. Der Gebrauch von de und a, muß wohl angemerkt werden. 37) Ein Verbum nach der 4ten Coniugation. Siehe den Prodromum Vocabularii Seite 64. 38) Eine Präposition regiert einen Ablativum. 39) Ein Verbum defectivum, ich bitte: im plurali, quaesumus, wir bitten

te, 40) ſuaviſſime 41) praeceptor, monſtra 42) mihi Deum. Cupio enim eum oculis cernere, quia mihi carior 43) eſt parentibus, & ipſa vita mea. 44)

2. Reſpondebat magiſter: Non potes cernere Deum oculis corporis tui. Eſt enim *ſpiritus*, qui non habet carnem, oſſa, oculos, manus, faciem, & corpus, ut tu habes, aut ut alii homines habent. Igitur non potes eum oculis cernere, quemadmodum nec animus tuus cernitur. Hic ſupremus rerum cunctarum auctor & dominus fuit ab *aeterno;* neque creatus eſt, ut angeli, neque natus, ut homines. Reges moriuntur, Deus vero nunquam moritur, ſed eſt ſine initio & fine. Quoniam igitur parentes

bitten. 40) Accuſativus Pronominis Tu, auf die Frage: Wen? Prodr. Seite 56. 41) Iſt der Superlativus von ſuavis von der Comparatione Adiectivorum ſiehe Prodr. Seite 49 — 52. 42) Imperativus von Monſtrare, wie amare; Deutſch einem etwas ſinnlich zeigen. 43) Comparativus maſculini generis vom poſitivo. carus. Prodromus, Seite 50. 44) Parentibus iſt der Ablativus pluralis Numeri nach der dritten Declination, und ipſa vita mea iſt auch Ablativus, ſingularis Numeri, und kömmt von dem Comparativo her, bey welchem in der deutſchen Sprache das Wörtchen als ausgelaſſen iſt. In dieſem Falle ſteht bey dem Comparativo der Ablativus.

tui morientur, ſuadeo tibi, ut unice Deo confidas, qui perpetuo vivet, & qui eſt *omnipotens.* Quia enim omnia facere poteſt, quaecunque 1) vult, te ſervabit, te tuebitur, & quia omnibus animalibus cibum ſuum dat, tu numquam eſuries, ſi eum coles, ut patrem tuum.

3. Et habes hunc dominum omnibus in locis tibi *praeſentem,* nec ullum eſt conclave 2) tam obſcurum, aut abditum, in quo non ipſius Numen adeſſet. Igitur videt Deus cuncta, quae facis: vident te oculi eius, cum 3) es in ſchola; vident te, ſi domi cum parentibus verſaris. Audit omnia tua verba; audit preces tuas; immo, novit omnes cogitationes tuas, tam bonas, quam malas. Cave igitur malum aliquod aut cogites, aut facias. Reverere potius Deum ubique, quemadmodum Ioſephus noluit impie facere, quia magis timuit Deum, quam homines. Haec iuvenilis pietas Deo accepta fuit. Quare illi adfuit vel in migratione, vel in vinculis.

4. Prae-

1) Seht wie das Pronomen qui, quae, quod. cunque wird angehängt. 2) Die Nomina der dritten Declination in e ſiehe Prodr. Seite 14. 3) Wenn cum eine Zeit anzeigt, ſo ſteht es allezeit beym Indicativo, wenn es aber eine Urſache anzeigt, beym Coniunctivo.

4. Praeceptor interrogabat: mi Christophore, amasne* parentes tuos? pius puer ait: immo, amo patrem meum & matrem meam, & sunt mihi oculis meis cariores. Nam suppeditant mihi quotidie & victum & amictum. Tum Praeceptor: at Deus parentibus tuis haec dona largitur. Et largitur ista bona non solum tuis parentibus, sed omnibus etiam hominibus, tam probis, quam improbis: quin, nutrit Deus omnes animantes, omnes aves, omnesque pisces. Tuetur miseros homines, & curam agit pro iis, tamquam bonus pater, aut tamquam fidelis pastor pro ovibus. Tum exclamabat puer: O! quam *bonus* est Deus: amabo illum in posterum magis, quam parentes meos, aut omnes, quos habeam carissimos.

Inprimisque Deus amat pios, qui ipsi tamquam filii morigeri obediunt. Sic amavit Abelem, Henochum, Abrahamum, Iacobum, Davidem, Danielem, aliosque sanctos homines. Sed improbis hominibus se non oblectat, quia odit omne malum. Posteaquam eos tulit multa patientia, tandem in illos animadvertit severe. Nam Deus est *iustus*. Ita Deus poena affecit Cainum, & eos homines, qui impii vixerunt tempore Noë: ita vindicatum est in Iudam pro-

* Ne wird angehängt, der Frage wegen.

ditorem, & in Iudaeos, qui noluerunt obtemperare Christo, filio Dei. Noli igitur flagitia committere, ne Deus in te animadvertere aliquando cogatur severius. *

5. Deus in sacra scriptura saepe piis pollicitus est vitam, & eam quidem immortalem ac aeternam. Igitur certo illis hanc felicitatem dabit, & dedit illam Abrahamo, Davidi, Paulo, & ceteris piis. Nam Deus est *verax*, nec potest mentiri, quemadmodum saepius homines verbis alios fallunt. Contra vero improbis hominibus minatus est aeterna supplicia. In Deo nullum est mendacium, nullum peccatum, nullum vitium, sed est *sanctissimus*. Quia autem Deus, pater tuus, sanctus est; igitur etiam tu sanctus esse debes, si vis ad eum, ad sanctos Angelos, ad totum mentium beatarum concilium accedere post mortem.

6. Praeceptor pergit: dic mihi, meum delicium, quot sunt dii? Puer ait: *Unus est Deus, sed tres sunt personae, quibus una virtus divina est communis.*

* Ne Deus cogatur aliquando animadvertere severius in te, nach der Construction.

7. Hic vero Deus creavit omnia, cum antea nihil rerum esset earum; * formavit etiam me, patrem meum, matrem, fratres, & hanc sororem meam, deditque mihi oculos, aures, os, linguam, manus, pedes, membra omnia, ac quicquid habeam. Conservat mihi haec omnia, ac reliqua, quibus alitur vita humana. Sine Dei cura omnia perirent fame & siti.

8. Praepotens illud Numen creavit etiam innumeros *Angelos*, quos nemo ** mortalium potest oculis cernere, quia sunt spiritus. Hi angeli in principio omnes sancti & boni fuerunt. Sed nonnulli eorum Deum, creatorem, offenderunt, negantes *** ipsi obsequium. Et hi vocantur *diaboli*, qui student nocere hominibus. Quodsi vero pius es, tibi nocere non possunt. Nam Deus te tutum praestat per sanctos Angelos, in omnibus viis: hi sunt amici piorum; his sociis pii sublimes abeunt in coelum, ut Lazarus abiit in sinum Abrahae. Si probus es, laetantur Angeli boni: si vero pravis indulges cupiditatibus, laetatur genius malignus.

9. Deus

* Nihil wird als ein Substantivum angesehen, und veranlaßt den Genitivum rerum earum.

** Nemo regiert hier einen Genitivum nach sich.

*** Quia negabant.

9. Deus creavit *Adamum* ex terra. Ineptum igitur eſſet, ſi homo elate ſe gereret: nam formatus eſt ex luto. *Evam* vero finxit Deus ex coſtarum una Adami. Principio quidem homines non erant ita mali, ut nunc ſunt: ſed erant veri, recti & pii. Et quia Deus ſapiens eſt ac iuſtus, etiam primi homines erant prudentes & ſancti: igitur eius fuerunt ſimiles, * & animus ipſorum erat quaedam imago Dei. Deus ergo eos vehementer amabat, eosque collocabat in regione amoeniſſima, quae appellatur Paradiſus. In hac beatiſſima ſede erant feliciſſimi. Neque fames, neque morbus, neque ullus dolor eos vexabat. Ambulabant laeti & hilares coram patre coeleſti, praecepta illius ſervantes, ** & illum reverentes toto pectore intimisque ſenſibus.

§. 128. 10. Sed eheu! non diu fruebantur *** hac felicitate generis noſtri auctores. Diabolus
§. 98. enim ipſis hanc beatitatem invidens **** eos pellexit, ut fierent Deo inobedientes, ac ſpernerent

* Similis, wenn es eine Aehnlichkeit des Geiſtes anzeigt, ſteht öfters beym Genitivo; wenn es aber Aehnlichkeit des Leibes zu erkennen giebt, beym Dativo: als ſimilis patris und patri.

** Qui ſervabant; qui reverebantur.

*** Fruor hat den Ablativum bey ſich.

**** Invidebat.

rent illius mandata. Nam illi magis obediebant, quam Deo Creatori & benefactori. Igitur Deus, qui iuſtus eſt, & qui omne malum odit, eos punivit & expulit ex laetiſſimo horto. Ab hoc inde tempore Adam & Eva erant mali, & mors invaſit homines, quae eſt poena delictorum. Hinc ſunt omnes homines mali, & pueri etiam malum a teneris amant.

11. Ah! quam miſeri eſtis, pueri. Omnes veſtrae cogitationes ſunt pravae. Quae Deus vult, vos non vultis: contra ea cupitis ea facere, quae Deus ideo prohibuit, quia ſunt mala, & homine pio indigna. Amatis petulantiam, mendacia, inertiam, iurgia; contra vero inviti Deum precamini, inviti ſcholam aut templum frequentatis, nec paretis ſemper parentibus aut praeceptoribus. Praeterea alios pueros non amatis, laetantes, * ſi aliquid ** mali ipſis acciderit. Igitur malum genium potius, quam ſanctiſſimum creatoris numen imitamini. Ah! quam me veſtri *** miſeret, mi-

* Quia laetamini.

** Aliquidmali. Aliquid wird als ein Subſtant. angeſehen und erfordert den Genitiv. mali nach ſich.

*** Der Genitiv. veſtri wird von miſeret regiert, denn überhaupt ſteht bey den Verbis, die eine Sorge oder Bekümmerniß oder Mitleiden anzeigen, der Genitivus meiſtentheils, allezeit aber bey miſeret.

misellули! Deus est sanctus; igitur non potest amare pravos pueros. Et quia quotidie delinquitis, ideo etiam a vobis poenas sumet post hanc vitam, ut testetur perpetuo, aversari se & detestari, quidquid a sanctitate recedat. Estis itaque in ipso aetatis flore jam miserrimi.

12. Sed nec sodales, nec te iuvat misericordia hominum. Quia enim singuli homines sunt impii & flagitiis inquinati, nullus eorum te ab ira Dei potest liberare. Sed bono sis animo; noli desperare de salute. Salva res est. Ipse Deus misertus miserorum hominum, decrevit eos vindicare a morte & a poenis aeternis. Misit ergo filium suum sanctissimum, qui legem plene servaret, & supplicia, quae nos meruimus, innocens lueret.

13. Hic Iesus fuit infans & puer, sicut tu & alii pueri. & erat quoque te pauperior. Factus est autem inops, partim, ut te aeternis opibus ditaret; partim, ut doceret homines, non esse ab ipsis amandas divitias. Tum *Christophorus* ait: miram rem narras, Praeceptor. Optarim, ut ego potuissem parvulum Jesum videre in sinu sanctae matris, & hunc divinum fratrem supplex adorare, quemadmodum viderunt eum Magi. Profecto amplexus & osculatus

tus fuiſſem hunc dulciſſimum Ieſum. Sed quae dona obtuliſſes huic Deo & Domino tuo, Chriſtophore? interrogavit *Paedagogus*. Cui pius *puer*: Obtuliſſem ei omnes meas veſtes, ſed maxime, animum meum. Reſpondit *magiſter*: Complectere ipſum animo pio & puro; ſic nomen & omen habes, recteque vocabere *Chriſtophorus*, quod nomen graece ſignificat hominem, *qui Chriſtum gerit*.

14. Imitari vero debes hunc fratrem tuum ſanctiſſimum, qui, cum eſſet puer duodecim annorum, ita ſapiebat, ut doceret ipſos doctores ſenes. Nulla in eo erat petulantia, nulla ignavia, nulla inobedientia, verbo nihil omnino mali. Numquam perperam fecit in tota vita. Deamabat coeleſtem patrem ſuper omnia, ea faciens libenter, quaecunque Deus ipſi mandaſſet. Amabat vero etiam homines, & ita quidem vehementer, ut omnes aerumnas, ipſamque mortem atrociſſimam ſponte, amore fratrum, ſubiret. Pauperes docuit viam ſalutis, caecis viſum, aegrotis ſanitatem reſtituit, mortuos in vitam revocavit. Nemini unquam erat adverſus. Ipſis inimicis ſuis benefecit & eos moriens commendavit precibus ſuis coeleſti patri, Deo.

15. Quoniam vero in te admisisti tam multa mala, & quotidie admittis, ex hoc nomine innocens Dei filius tantum cruciatuum sustinuit. Nam morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros sustinuit. Est enim agnus Dei, qui, verae victimae instar, * luit mortalium delicta, quique pro nobis est mactatus. Igitur conqueritur interprete Iesaia: *O homo, servitute premis me propter impietatem tuam: fatigas me iniquitatibus tuis.* Ah, puer, tolle oculos: adspice in monte oliveti Iesum, flentem, sanguine sudantem; audisne clamores eius & flebilem vocem? I mecum in praetorium Pilati. Ecce, manus misere vinctas: in tergo verberum vulnera! En tibi in ipso castissimo pectore, in blandissima facie, sputa & vibices! Nonne te miseret fratris tui? Nonne te poenitet pravitatis tuae, cuius expiandae caussa haec omnia subiit Iesus? Sed age, adscendamus cum piis istis mulieribus in montem Golgatha. Sitit Iesus, fons vitae: at neminem video praebentem potum. Transfiguntur manus pedesque clavis: nullus adest medicus vulnera curaturus. Nudatur castissimum corpus, ac vestimenta dispertiuntur inter milites. O crudelissimi mortales, adeone estis saxo quovis duriores, ut plane

vos

* Instar zeigt eine Größe, einen Vorzug an, und hat als ein Substantiv. den Genitiv. bey sich.

vos non moveat miſerrima conditio Ieſu mei! Ah! pendet e cruce! Nullus adeſt angelus; nullus e diſcipulis, qui divinis ſolatiis ſanctiſſimum animum, miſere cum morte luctantem, recreet. Ipſe Deus, ipſe coeleſtis pater eum ſub cultro relinquit, quaſi eum ob noſtrorum delictorum multitudinem odio haberet. Clamat, hominum & Dei fidem implorat, & ad miſericordiam flectere ſtudet. At nemo precibus, nemo lacrymis eius movetur. Nihilo minus Deum conſtanter amat: imo amat homines, & ipſos inimicos. Tandem omnibus perfectis, * quae facere eum & pati oportuerat, patri coeleſti animum commendat, & moritur. Sepultus eſt ab amicis honorifice, mox vero e ſepulcro vivus prodiens ** conſpiciendum ſe praebuit diſcipulis, & poſt quadraginta dies in coelum victor revertitur, ubi cum Patre aeternum regnat, rector tutorque fidelium praepotens.

16. Quia vero ipſe Dei Filius omnes poenas peccatorum perſolvit: Deus te propter delicta tua non puniet. Nam nullum peccatum

* Der Ablativ. abſolutus oder conſequentiae iſt in der Grammatik nachzuſchlagen; er wird gebraucht, wenn von zweyerley Sachen oder Perſonen in einem Perioden oder Punkte geredet wird.

** Reſurrexit iſt in dieſem Verſtande nicht lateiniſch.

tum bis punitur. Jesus nomina * nostra expunxit. Ergo tu ea non dissolves. Credisne, Christum, qui erat pius & innocens, haec omnia mala ob tua delicta sustulisse? *Puer* ait, credo, & certus sum, me esse liberatum per eum a malo & ab omnibus poenis illius. Testatur enim id sacer codex: sanguis *Iesu Christi mundat nos ab omni labe.* Quoniam vero Servator meus tam dira, tamque atrocia, hominum causa, fuit perpessus: amabo eum toto animo, eiusque mandata sancte servabo, nec ullum habeo illo cariorem, qui est pro me, & pro toto humano genere in crucem actus & mortuus. Tum *Praeceptor:* amo hanc tuam pietatem, & rogo Deum, ut tibi largiatur Spiritum Sanctum, qui animum tuum purget a vitiis, quique te impellat, ut audias libenter verbum Dei, & ejus dicto pareas. Id si * feceris, eris ex numero filiorum Dei, qui sunt heredes Christi, & regni coelestis.

* Nomen heißt eine Schuldforderung.
** Si wird zierlich nach id gesetzet.

Gespräche von gemeinen Sachen.

17.

IOANNES, MICHAEL.

IOAN. Habesne pennam meam & atramentarium, fratercule? MI. Habeo. Io. Quare vero abſtuliſti mihi? MI. Imagines quasdam adumbravi. Io. Quales, amabo te? MI. Leonem, urſum, lupum & venatorem. Age, vide ipſe opus meum. Quale tibi videtur? Io. Mihi non videtur abſolutum. MI. Non eſt mirum. Colores enim deſunt. Oro te, ocellule, commodes mihi capſulam tuam Norimbergenſem refertam * omni colorum genere. Io. Dabo, ſi mihi gratis pinxeris equitem Boruſſicum nigrum, ſive *Huſarum*. MI. Faciam, ut potero, & quidem vultu trucem, toto ore habituque terribilem. Io. Recte. MI. Sed ubi ſunt penicilli? Io. Mox adferam. MI. Ah meum corculum, amo te de iſta bonitate tua. Io. Sed pace tua, frater, leo tuus non eſt ſatis villoſus, nec facies torva, ut habere dicuntur leones Libyci aut Caſpii. MI. Cave ** artificem corrigas. Exſpecta paulliſper, dum colores erunt obducti. Io. At venator probatur. Quare vero omiſiſti *lepores*? MI. Non convenit adiungere ſocium

 animal

* Quae eſt referta.

** Siehe oben Numer 3.

animal tam timidum leoni. Ita ſemper, in fabulis & luſu penſitemus quid hominibus, loco & tempori aptum ſit. Io. Artifici in arte ſua credendum eſt. Fac, mox perficias opus tuum, Apelles! Mi. Tu modo memineris illius ſententiae: *Nulla dies ſine linea!*

18.

GUILIELMUS, MAGDALENA.

Gu. En tibi, ſoror, catulum lepidiſſimum. (*ad canem*) Leuncule, huc ad me accede, Leuncule feſtiviſſime, accede! quem metuis? Eſt mea ſororcula. Nihil nocebit tibi. Mag. A quo habes hunc bellum Melampum? Gu. Erras, ſororcula. Eſt ipſi nomen *Leunculo*, non Melampo. Ma. A quoniam accepiſti Leunculum hunc? Gu. Reverſus e ludo, in via in eum incidi. Acceſſit ſponte ad me, mihique caudula trepidante mire adblanditus, domum me ſumma urbanitate comitabatur. Iam me in via antevertebat, mirisque geſticulationibus aſſultabat ſtultulus. Barbarus eſſem, ſi a foribus abegiſſem. Ma. Sed vereor, mi Guilielme, ne te mox iterum deſerat, & ad priorem dominum revertatur. Gu. Heu miſerum me! Lacrymas elicis. Non, non, Leuncule, meum delicium, tu non aufugies, Videsne, ſoror, ut

caudam

caudam iactat, ut subsilit! Audisne, latrat! Quis adest? Ma. Dominus canis, requirens hoc canis prodigium. Gu. Hem! Vah! Quaeso te, sororcula, ut ipsi des panis frustulum. Esurit misellus. Ma. Fastidit. Gu. Butyri nonnihil illinemus. Ma. Delicatulus est, assuetus mensis nobilium parasitus.

19.

PETRUS, HIERONYMUS.

Hier. Quaeso te, frater, i mecum, si vacat & libet, in tabernam.* Emendi sunt libri. En tibi nummos, quos ex pecunia, quam elargiri in nos singulis solet hebdomadibus optimus pater. Pet. Quantum pecuniae habes? Hier. Ioachimicum unum cum dimidio. Pet. Miror, o bene, frugalitatem tuam. Hier. Immo facilius est mirari, quam imitari hanc artem. Vobis delicate victitantibus, mihi saepius genius erat defraudandus. Interim libellis meis pascebam oculos animumque. Pet. Quos libros desideras? Hier. Eos, qui tractantur in tertia Gymnasii nostri classe, cui mox nomen dabo. Pet. Sunt isti Phaedri fabulae; Friderici Gedike liber latinus tironibus scriptus; liber pro-

 paedeu-

* Officina libraria ist in diesem Verstande nicht lateinisch.

paedeuticus Auguſtanus, latini ſermonis Grammatica Auguſtana, cum Catechismo Lubecenſi. HIER. Hem! quot libros narras. Tantum aeris non habeo, ut emam tot libellos. PET. Bono ſis animo. Unum alterumque horum libellorum a me gratis accipies. HIER. Ah, fratrem amantiſſimum & melle dulciorem!

20.

MARTINUS, SUSANNA.

SUS. Quid mali tibi accidit, Martine? MAR. Nihil. SUS. At rubent oculi madentque. Hoc vero eſt doloris & lacrymarum indicium. MART. Lapſus ſum in glacie decurrens, experturus quam feliciter imitarer commilitonum velocitatem. SUS. Ad matrem ocyus rem deferam, MART. Ah, oro & obteſtor te, mea Suſanna, parce miſero tuo fraterculo, parce cuticulae, ne bis vapulem * una die. SUS. Ergo vapulaſti? MART. Fatebor rem, ſi ſilentium promittas. SUS. Piſci dixeris & lapidi. MART. Ludo cum pueris, neſcio quibus, in foro. Oritur, ut fit, mox bellum. Pugnatur utrimque acerrime. Tandem cogor ego ſaucius ex praelio evadere. — Habes iniuriae & infeliciſſimi belli hiſtoriam! In poſterum numquam committam, ut cum faece puerorum miſce-

* Das Verbum vapulare muß wohl eingeſchärft werden.

miſcear. Sus. Felix, quem ſua pericula cautum faciunt! Libri tui nec mordent, nec vulnera infligunt. Mitte inglorium hoc ſtultitiae & petulantiae certamen. Mart. Sequar optimum hoc conſilium, & cum morigeris pueris verſabor.

21.

MARTINUS, PATER.

Mart. En tibi, pater optime, ſacrum codicem, elegantiſſimis imaginibus ornatum! Eſt foris mulier, vili illum pretio venditura. Pat. Quanti conſtat? Mart. Groſſis ad minimum viginti & uno. Quaeſo te, eme nitidiſſimum librum, ut tanto ſuavius diſcamus ſacras hiſtorias. Pat. Faciam, ſi arrideat libellus. Luſtrabimus prius. Mart. Ecce iacentem in ara Iſaacum, trepidantem, & ut videtur, flentem. Miſeret me miſelli pueri. Pat. At Deus iuſſerat mactari, cui eſt ſemper obediendum & ſponte. Mart. Quaeſo pater, num re vera occiſus eſt optimus puer? Pat. Itane inſcius es divinorum librorum? Non fuit mactatus. Interceſſit enim miſſus de coelo nuntius. Mart. Teneo. Video hic angelum, alis inſtructum. Pat. Utinam pictor eas omiſiſſet. Angeli enim non ſunt alati. Sed voluit artifex oſtendere miram cele-

 rita-

ritatem eorum, qua utuntur in piis adiuvandis pueris. At video graviora artis peccata. Pinxit ad moenia urbis Hierichuntis tormenta igniaria, & illa quidem explosa. Videsne milites non veteri, sed Hispanico, nisi fallor, more armatos vestitosque? MART. Video. PAT. Diaboli vero, sive mali genii, quam portentosa est species, quem tamen non ignores, spiritum esse & corpore carere. Absit, ut tradam tibi librum, ex quo nonnisi errores & aniles fabulas arripies. Meliorem tibi emam. Redde hunc iterum mulieri. MAT. Promitte vero, te pro munificentia in me tua meliorem natali meo die esse emturum. Immo vero promitte osculo.

22.

AVIA, NICOLAUS, MAGDALENA.

MAG. Vocaris frater: missis omnibus propera ad aviam. NIC. Quam ob caussam ex ludo discedam? MAG. Exspectat te delicium tuum. NIC. Aureos polliceris montes. Sed vereor, ne mihi verba des. MAG. Absit. Parata est *Coffea*. NIC. Barbare loqueris. Sed loquaris. si modo vera narras, & ornata est iam dulci aqua tabula. AV. Heus Magdalena, elue catillos. Sed delicate tracta eos & caute. Sunt enim Misnenses. Venit haec fragilis merx magno.

gno. * Mag. Curabo omnia, ut iubes, avia. Nic. Sed una deeſt ſupellex, qua carere acerbum fuerit. Av. Quaenam? Nic. Sacchari pyxis cum cochleariolis argenteis. Av. Itane es delicatulus? Nic. Non equidem: ſed ſcio, id moris eſſe tibi, dulciſſima mater, excipere hoſpites tuos ſplendide ac laute. Curabo igitur, ut nihil deſit honori, quo me hodie ornare tibi, pro tuo amore & indulgentia placuit. Mag. Hem, non ſatis eſt liquidus potus. Av. In promtu eſt medicina. Frigidae aquae paullulum affunde, aut adde ſacchari fruſtulum. Nic. Interim me urit ſitis, dum ſoror curat aquam tardius. Av. Hodie quidem parum urbanus es puer. Nic. Sed iam ſemel pudoris fines transgreſſus ſum. Quid? ſi lactis aliquid admiſceatur, quo temperetur aquae arabicae vis. Ita enim ſuaſit Medicus avunculus. Quanti libra conſtat fabarum? Mag. Naſutule, animum benefactoris aeſtimare debes, non rei pretium. Quid ad te? ſex iam groſſis conſtat Lipſiae. Nic. Vellem, adeſſe ſaccharum pellucidum. Tuſſi enim laboro, cuius medicina eſt probata illud nobilius ſacchari genus. Av. Apage, ruſtice, & mores elegantiores indue.

 23. THO-

* Die Regeln vom Preis und Werth der Dinge können hier aus der Grammatik eingeschärft werden.

23.

THOMAS, MARTINUS, MELCHIOR.

THO. Heus, heus! videsne quae quantaque ibi hominum turba? Qui confluxus muliercularum! MAR. Quid obſtat, quo minus eo avolemus, viſuri, quid rei agatur? THO. Habes me comitem fidelem. MAR. Adhaerebo lateri tuo, etiamſi ad pugnam deveniatur. Quae hic in foro luditur fabula, Melchior? MEL. Tragoedia eſt. Duo enim pueri a lictoribus arrepti in ergaſtulum ſeu piſtrinam ducuntur. MAR. Male ludetur in pelle eorum. THO. Quid deſignaverunt? MEL. Mala in horto clam ſuffurati ſunt: in hoc autem peſſimo opere deprehenſi, male lapidibus acceperunt horti dominum. Sed eamus in aream maiorem, ubi milites tres per diſpoſitos commilitonum ordines viminibus agentur. Et ferunt etiam non contemnendi auctores, perendie binos alios laqueo ſuſpenſum iri. MAR. Hem! quantum mali una die. THO. Ah, quam dura ſunt vitiorum ſtipendia! Malo igitur me honeſtati dare. MAR. Et quidem Deo duce, cui ſacramento nos in ſacro lavacro obſtrinximus. MEL. Iungamus itaque manus, commilitones optimi, adverſus ſceleris illecebras fortiter pugnaturi. Optabilis & glorioſa victoria! O beata ſocietas! MAR. Age-

Agedum precibus implorabimus illius clementiam & opem, ſine qua nihil proficiunt humanae vires.

24.

LUDOVICUS, MARCUS, PATER.

Marc. Narratum tibi, Ludovice, laeta advolo. Pater hodie & mater deambulatum prodibunt. Et ego comes ipſis ero. Lud. Rogo te, ut una exſpatiari mihi liceat, pater optime! Pat. Mecum ibis. Pediſequo manda, ut te veſtiat, ſed propera. Marc. Nova mea, Chriſtophore, me indue veſte. Pecte me. Pileum mihi, manicas & ſcipionem praebe. Inſtructusne eſt Ludovicus? Pat. Nondum eſt. Facies, os tibi & manus lavandae ſunt. Marc. Nunc prodibimus. Quorſum ibimus? Pat. Extra urbem. Praecede tu, Ludovice, cum ſorore. Lud. Quis vir hic, pater? Pat. Miles eſt. Lud. Quid ipſi hic negotii? Pat. In ſtatione excubias agit. Lud. Quid manu tenet? Pat. Tormenti genus, quod bombardam nominant. Lud. Aedicula haec quaenam eſt? Pat. In hanc ſe excubitores recipiunt, cum pluit. * Marc. Vah! quantum aquae. Pat. Fluvius eſt. Mar. Quod nomen ei? Lud. Ponticulus hic nobis transeundus eſt. Marc. Ades Ludovice, man-

* Siehe oben Numer 3.

manu te ducam, ne in fluvium decidas. Lud. An alta eſt aqua? Soror. Rogas? eſt. Lud. Hic mola prope eſt. Pat. Videsne rotas? quotnam ſunt? Numera. Lud. Sex rotae ſunt. Soror. Erras, non probe numeraſti. Non plures quam quinque ſunt. Marc. Iſtic ovium gregem conſpicor. Lud. Ubi opilio eſt? Illic ſub arbore conſedit & fiſtulam ex utre inflat. Soror. Ibi caprum ego noſtrum video. Nigrum illum & prolixa barba. Lud. Nulline canes opilioni ſunt? Marc. Ipſos nonne vides, prope opilionem cubantes? Lud. Ne me mordeant, timeo. Marc. Non eſt, quod timeas. A me modo ſi digreſſus non fueris, te non laedent. Soror. Ecce, anſerum ibi gregem. Lud. Illic lepus currit. Marc. Si tormentum haberemus, deiiceremus. Lud. Numquam cervum vidiſti? Marc. Numquam. Soror. Euge, quam ſuaviter aves cantant. Marc. En, columbarum praetervolantium multitudo. Lud. Erras, corvi ſunt. Soror. Mons ibi praealtus eſt. Lud. Eumne adſcendemus? Soror. Difficili nimis & arduo adſcenſu eſt. Marc. Quaenam hae domus? Lud. Pagus eſt. Soror. Ecce vehiculum farre onuſtum. Concede huc. Lud. De via in ſemitam nos recipiamus. Marc. Ille viridi indutus veſte quis? Soror. Venator eſt, peram portans, & venatorium tormentum, quo duo

deie-

deiecit lepores. LUD. Ecce ibi veniunt canes venatici. SOROR. Esne laſſus de via, Marce frater? MARC. Deambulatu iam rediimus, Chriſtophore, iucunda haud pauca vidimus. CHRIST. Quid quaeſo vidiſti? MARC. Venatorem duo portantem lepores. Vidimus etiam cervos. CHRIST. Ecquid mihi attuliſti? MARC. Nihil, praeter florum faſciculum. CHRIST. Unde illos habes? MARC. Legi in prato.

25.

SAMUEL, TOBIAS.

SAM. Pſittacum vidi in aula, varia loquentem. TOB. Quid loquitur? SAM. Haec loqui doctus eſt: *Princeps adeſt, venit: eſurio, date mihi cibum, date fruſtum ſacchari;* canem etiam latrantem imitatur & felis vocem. TOB. Num etiam, ſi quid interroges, ſolet reſpondere? SAM. Id vero non poteſt. Rationis enim expers eſt, nec, niſi quae didicit, loquitur. An numquam vidiſti Pſittacum? TOB. Numquam. Quam avem magnitudine aequiparat? SAM. Columbam, ſi recte memini. TOB. Quisnam ipſi color eſt? SAM. Varius: plumas enim habet rubras, virides & luteas. Praeterea catellum Principis vidi. TOB. Qualis illi color eſt? SAM. Cineraceus, nigris oblongisque maculis. TOB. Num

Num collari etiam eſt ornatus? SAM. Eſt omnino, eoque pulcherrimo. Idem catellus tantum optimo cibo corporis fecit, ut vix quaquam ſe movere poſſit. TOB. Pſittacum videre ego diſcuperem.

26.

MARCUS, LUDOVICUS, CAROLUS, IACOBUS.

LUD. Luſitemus paullulum. CAR. Ego quidem in latebras refugiturus; tu vero me quaeſiturus. IAC. Ergo aliquo te proripe & abſconde. Faciemus id & nos ceteri, unus quaerat omnes. LUD. Sed noli tu, Marce, quo nos recipiamus, obſervare. MAR. Numne iam latetis omnes? IAC. Latemus omnes, atque ita, ut vix nos ſis inventurus, Marcelle. MAR. Ubinam terrarum Ludovicum inveniam? Forte poſt fornacem, ſub menſa, ſub lecto. SOR. Dicam, ſed clam, fratercule. In lecto invenies, lodice opertum. IAC. Hem, proditi ſumus. MAR. Euge, tandem te inventum teneo. LUD. Nunc meae ſunt partes. SOR. Ades, Marcelle, abſcondam te, ſcio probe, nemo ubi inveniat. MAR. Ubi latebo? SOR. In aurem iſtud tibi oportet inſuſurrem. In cellam te includam, clavem inde ablatura. Sed ut ibi taceas, & quietus ſis, neceſſe eſt.

27. CHR.

27.

CHRISTIANUS, PAULUS, PHILIPPUS.

CHR. In hortum hinc mecum abite. Oſtendam vobis rem iucundam. PAU. Quaenam illa? CHR. Nidus avis. PAU. Num in illo iam pulli inſunt? PHI. Nondum, ſed ova. PAU. Quotnam? PHI. Quinque. PAU. Num auferre ova placet? CHR. Cave facias. PHI. Quum pulli excluſi fuerint, tum iſtos quidem tollemus. PAU. At ego duo tantum ova capiam, ut adſpicere melius poſſim. CHR. Ne tangenda quidem ſunt. PAU. Quapropter non tangenda? CHR. Ne ipſae aves, quod ſolent, nidum relinquant. Quum pulli adfuerint, tibi dicam, tum una eos ambo ablaturi.

28.

LUDOVICUS, HENRICUS, FRIDERICUS.

HENR. Huc ades, Ludovice, in aream exeamus. LUD. Quid ibi agemus? HENR. Paulliſper curriculo noſtro vehamur. LUD. Tres tantum illud rotas habet. Ubinam quarta eſt? HENR. Hic eſt. LUD. An eſt forte fracta? HENR. Non, ſed integra eſt. LUD. Itaque currui aptabimus.

bimus. Henr. Clavum ligneum pangamus, ne excutiatur denuo. Lud. Bacillum hoc accipe. Henr. Id nimis crassum est. Lud. Cedo, * cultro aptabo. Henr. Cape cultrum. Lud. Non est acutus. Henr. Acuamus aliquantum. An malleum habes? Lud. Quid eo facies? Henr. Clavum illo adigam. Lud. Eius loco lapide utere. Henr. Ah! temo fractus est. Lud. Laqueum alligabimus. Iam conscende currum. Ego illum traham. Henr. Nimium properas. Vereor, ne currum avertas. Lud. Iam ego inscendam, tuque me vectabis. Frid. Ipse etiam una vehi vellem. Henr. Non superest locus. Frid. Vah! veh! Matri dicam. Luetis petulantiam. Lud. Abi & dic etiam patri & sororibus. Henr. Nuper lepidam rem vidi. Ruperti, Consiliarii liberi curriculo suo vehebantur & temoni adiunctus erat caper & canis. Lud. Vix crediderim. Henr. His oculis vidi. Lud. Quomodo iunctos dicis? Henr. Plane, ut equi solent. Praecedebat servulus & currus sequebatur, qua is pergebat. Lud. Idem ego videre discupio.

29. BERN-

* Ist ein ganz eigenes Verbum defectivum.

29.

BERNHARDUS, MARCUS, MATER.

BERNH. Pauper foris eſt, mater mea. MAT. Noſtine hominem? BERNH. Senem illum, Nicolaum puto. Incurvus eſt, barba promiſſa & cana. MAT. Cape hos nummos & ipſi da. BERNH. Quot annos habes? NIC. Decem & centum annos natus ſum. Deus tibi pro hoc beneficio ſit propitius! BERNH. Mulier mendicans foris eſt. MAT. Panis fruſtum & caſeum ipſi da. BERNH. Senex adeſt, mater, fulcris ligneis incedens. Adeſt etiam miles pede ligneo. Ibi puer parvus eſt, ſciſſa veſte! Frigore totum corpus eius concutitur. Subuculam meam, uſu detritam ipſi donabo, ac tibialia & calceos, ſi quidem tua id, mater, cum pace poſſit fieri. MAT. Amo te, qui tam te miſericordem praebeas pauperibus. BERNH. Elargior libenter egentibus. MARC. Placentae fruſtum hodie reſervavi. Id mulieri iſti caecae dabitur. BERNH. Videsne ſcholaſticum illum tironem pauperem? MARC. Quid proclamat? BERNH. *O date pauperibus?* MAT. Da illi hos ſex nummos. Sed ipſe eos pyxidi iniice. MARC. Iam iam hic ad-

erit canentium chorus. MAT. Huic finita cantilena da tres hos fextarios.

30.

FRIDERICUS, TIMOTHEUS.

TIM. Quid hic habes Friderice? FRID. Iuglandis putamen. TIM. Quis eius ufus erit? FRID. Rem fpectatu prorfus iucundam paraturo inferviet. TIM. Quaenam illa? FRID. Bullae. Aquae nonnihil infundo, adfcitoque fapone probe tempero. Iam perforatum culmi fruftum intingo; & illud deinde perflo. Videsne bullam pulcherrimam ex eo pendentem, variis coloribus confpicuam, rubro nimirum, viridi, caeruleo, luteo. Vides, ut in aëre volitat? TIM. Idem etiam ipfe tentabo. FRID. Iufto fortius inflas. TIM. Domum oportet nunc redeam. FRID. Mane paullifper. TIM. Non licet diutius. Prandii tempus eft. FRID. Redi igitur a meridie. TIM. Redibo, fi quidem mater facultatem mihi dederit. Vale.

31.

FRIDERICUS, TIMOTHEUS.

TIM. Ades Friderice, lepidam rem monftrabo. FRID. Quaenam illa eft? TIM. Magnes. FRID. Talisne eft, qualis in orbe picto defcribitur,

tur, qui ferrum nimirum ad ſe rapit & tenaciter retinet. TIM. Talis eſt omnino. FRID. Illud videre velim. TIM. Videbis confeſtim. Tecumne portas parvam clavem ferream? FRID. En aliquam. TIM. Videsne, ut teneat clavem? FRID. An lignum etiam attrahit? TIM. Non. FRID. Videamus, an etiam retenturus ſit hunc argenteum nummum. TIM. Non fiet. FRID. Quare non? TIM. Quia argentum, non ferrum eſt. Iam impone acum hanc in menſam: Et ego magnetem ſubter menſam tenebo, huc illuc moturus. FRID. Eia! he! ſequitur acus quoquo verſa magnetem. Sed quaenam rei ratio eſt? TIM. Neſcio. Iam aliud adhuc ſpecta generis eiusdem. Globulum hunc e ſuccino vides. Ille chartam attrahit, & etiam retundit. Ante illum frico paulliſper, ut caleſcat. — Vide, ut chartae fruſtum hoc trahat. FRID. Idem efficere ceram, qua litteras obſignamus, animadverti. TIM. Vix crediderim. FRID. Certiſſimum eſt. TIM. An cerae iſtius fruſtum habes? FRID. En aliquod. Iam tere parumper. — Vides me verum dixiſſe. TIM. Illud adhuc ignoravi. FRID. A quo id didiciſti? TIM. A fratre meo, Petro. Vale.

32.

MULIER ET ANCILLAE.

Mulier vidua, quae texendo vitam ſuſtentabat, ſolebat ad opus excitare ancillas, ſimulac galli cantus auditus erat. At illae, diuturno labore defatigatae, ſtatuerunt, gallum domeſticum interficere. Quo facto in deteriorem conditionem inciderunt. Nam domina de hora, & tempore incerta, ſaepius iam media nocte famulas excitavit.

33.

MULIER ET GALLINA.

Mulieri viduae gallina erat, quae quotidie unum pariebat ovum. Illa autem, quum uno ovo non eſſet contenta, ſed plura cuperet, gallinam diligentius curare, & ſaginare coepit, ſperans, fore, ut illa bina aut terna ova quotidie pareret. Verum ſpes eam fefellit. Quum enim cibo ſuperfluo nimis pinguis facta eſſet gallina, etiam ſemel die ova parere deſiit.

34.
VULPES ET LEO.

Vulpes, quae nunquam leonem viderat, quum huic forte occurriſſet, ita exterrita eſt, ut paene moreretur formidine. Eundem conſpicata iterum, extimuit quidem, ſed nunquam ut antea. Tertio illi obviam facta, adeo imperterrita fuit, ut accedere propius & colloqui cum illo auderet.

35.
ASINUS ET LEONINA PELLIS.

Aſinus leonis exuviis indutus pro leone habebatur ab omnibus, atque homines, gregesque territabat, quaſi leo eſſet. Forte autem a vento vehementius ſpirante detracta eſt ei pellis leonina, qua nudatus facile dignoſcebatur. Unde factum eſt, ut omnes accurrerent, & fuſtibus petulantiam eius punirent.

36.
ASINUS CONTROVERSUS.

Duo, qui una iter faciebant, aſinum oberrantem in ſolitudine conſpicati, accurrunt laeti, ac uterque ſibi illum vindicat, quod ipſe prior conſpexerit. Dum contendunt & rixantur, aſinus aufugit, & ſe ſubducit oculis eorum.

37.

FORMICA ET CICADA.

Formica, hiemis tempore, grana e cavo trahens ſiccabat, quae prudens collegerat aeſtate. Hanc eſuriens rogat cicada, ut aliquid ſibi impertiret. Cui formica: Aeſtate quid agebas? inquit. Tum illa: Non erat otium, ut de futuro tempore cogitarem; errabam cantans per ſepes & paſcua. Ridens formica & grana referens ſic ait: *Si aeſtate cantaſti, age, ſalta nunc frigore.*

38.

LEO SENEX ET VULPES.

Leo, annis defectus, morbum finxit. Ad aegrotum regem viſitandum plures venerunt beſtiae, quas protinus devoravit. Sed cauta vulpes procul ante ſpeluncam ſtabat ſalutans regem. Hanc rogat leo, cur non intraret. Reſpondit: Quod video multa intrantium veſtigia, at nulla exeuntium.

Cautis pericula aliorum prodeſſe ſolent.

39.
HAEDUS ET LUPUS.

Capella, exiens paftum, ut foetum cuftodiret, monuit imprudentem haedum, ne aperiret oftium, quod fciret multas feras ftabula pecorum circuire. Ut abiit, advenit lupus, affimulans vocem matris, & iubet fores fibi referari. Ut haedus audivit, lupum per rimam fpectans dixit: audio fonum matris, fed fallax atque inimicus mihi es. Sub voce matris meum quaeris fanguinem potare & carne mea fatiari.

Laus magna natis eft, obfequi parentibus.

40.
LEPORES VITAE PERTAESI.

Qui fuftinere non poteft fuum malum, alios infpiciat, & difcat tolerantiam.

Lepores aliquando magno ftrepitu in filvis conciti clamant, fe propter affiduos metus finire velle vitam. Sic quendam ad lacum venerunt, quo fe miferi praecipitarent. Sed quum eorum adventu perterritae ranae virides in algas mifere fugientes ruerent: Heu, inquit unus, funt & alii, quos timor malorum vexat. Ferte vitam, ut ceteri.

41.

VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus, & modo haec, modo illa pars vincebat. At veſpertilio, dubios eventus timens, ad illos ſemper ſe conferebat, quos ſuperaſſe viderat. Inter aves avem ſe profitebatur, inter quadrupedes murem. Quum ad pacem rediiſſent aves & quadrupedes, fraus utrique generi apparuit. Damnatus igitur lucem refugit, & atris poſthac tenebris ſe condidit, ſola noctibus ſemper volans.

Qui ſe duabus venditat partibus, utrisque ingratus turpiter deget.

42.

PUER MENDAX.

Puer, cuſtos ovium, ſaepius ruſticorum opem, quum lupum advenientem vidiſſet, implorare ſolebat, clamans: Heus adeſte, ſuccurrite mihi. Ruſtici celeriter ad puerum accurrunt, lupoque nusquam apparente, ad opera ſua redeunt. Quumque aliquoties per luſum idem feciſſet puer, mendacem eum eſſe deprehendunt. Tan-

dem revera lupus irruit. Tum lacrymabundus & miserabili voce orare coepit, ut subveniretur sibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum sicut antea arbitrati sunt, eiusque preces neglexerunt. Ita lupus libere in oves grassatus, gregem perdidit.

43.
LUPUS, PASTOR ET VENATOR.

Quum venatorem instantem fugeret lupus, & a pastore visus esset, qua parte fugeret, & quo loco se conderet, plenus metu: Oro te, inquit, bubulce, ne prodas me innocentem. Nihil unquam mali tibi feci. Noli timere, pastor inquit, alteram monstrabo partem. Mox venator advolat. „Non huc veni„re, pastor, vidisti lupum?„ Qua parte fugit? „Huic pastor voce maxima dixit: Venit qui„dem, sed laeva fugit.„ At simul oculis clam designat partem dexteram. Non intellexit nutum venator, & festinans abiit. Tum lupum pastor interrogat: Quas mihi habebis gratias, quod te celarim? Maximas, lupus dixit, gratias linguae tuae ago; at oculis fallacibus aeternae noctis caecitatem imprecor.

Hac fabula describuntur illi, qui aliud in lingua promtum, aliud pectore clausum habent.

44. Scipio Nasica quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse, Nasica sensit, illam hoc domini iussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, & eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: Homo es impudens; ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi.

45. Alexander Ephesi imaginem suam, quam Apelles, clarissimus illius aetatis pictor, pinxerat, contemplatus, minus laudavit picturam, quam mereretur. Quum autem introductus equus adhinniret equo picto, quasi hic verus essetequus, Apelles: O rex, inquit, equus hic artis pingendi peritior quam tu esse videtur.

46. Salse risit Diogenes inertiam & incuriam Megarensium, qui liberos nullis bonis artibus instruerent, curam vero pecorum maximam haberent, dicens: Malle se Megarensis civis arietem esse, quam filium.

47. Bias, qui numero septem sapientum habetur, fuit vere vir unicus in omni fortuna. Nam cum patriam eius Prienen cepisset hostis,

hoſtis, fugerentque cives, multa de ſuis rebus ſecum aſportantes, admonitus eſt a quodam, ut idem ipſe faceret. Ego vero, inquit, facio; nam omnia mea porto mecum. Pectore enim ſua geſtabat, non humeris.

48. Agathocles, Siciliae tyrannus, ad regni maieſtatem ex humili genere peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus erat. Poſtquam autem imperio potitus eſt, ſolebat in menſa pocula fictilia inter aurea ponere, & ingenue fateri, ſe quondam eiusmodi poculorum fuiſſe artificem.

49. Socrates diſcipulis ſuaſit, ut is, qui inſpecto ſpeculo formoſus ſibi videretur, caveret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui vero deformis, daret operam, ut virtutis ſplendore vultus turpitudinem tegeret.

50. Quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt animus. Faciebant hoc Pythagorei philoſophi, ut conſummato die, cum ſe nocturnae quieti dediſſent, interrogarent animum: Cui vitio hodie obſtitiſti? Quod hodie malum tuum ſanaſti? Qua parte melior es? Quid pulcrius utiliusque hac conſuetudine excutiendi totum diem!

51. Lex erat apud Lacedaemonios, ut adolescentes non solum parentes suos revererentur, eisque obedirent, sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, e sedibus assurgebant, & consistebant quieti & verecundantes, dum illi transirent.

Quum Athenis senex quidam in theatrum venisset, spectatum ludos: in magno consessu locus ei a suis civibus nusquam est datus. Quum autem ad Lacedaemoniorum legatos, qui ludis intererant, accessisset, consurrexere omnes, & senem illum sessum recepere, sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod quum adspexisset populus, maximo plausu alienae urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse: Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere negligunt.

52. Zeno adolescentulo inepta multa loquenti: Idcirco, inquit, aures habemus duas, & os unum, ut plura audiamus quam loquamur.

53. Thebis Aegyptiacis cernebantur simulacra iudicum sine manibus, & praesidis eorum oculos in terram versos habentis. Quo significabatur, eos, qui jus dicunt, nec donis, nec conspectu reorum moveri oportere.

54. Ex

54. Ex animalibus, quae nobiscum degunt, fideliſſima reperiuntur canes & equi. Saepius canis, domino mortuo aut interfecto, cibum capere noluit, inediaque conſumtus eſt. Soli canes dominum novere: & ignotum quoque, ſi repente veniat, intelligunt, gaudiumque multis modis declarant advenienti. Soli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt. Itinera, quamvis longa, meminere. Nec ulli, praeter hominem, memoria maior.

Bis plerumque uno anno copioſam prolem enituntur canes. Gignunt autem catulos coecos, & quo largiore utuntur lacte, eo tardiorem viſum accipiunt, nunquam tamen ultra viceſimum primum diem; nec ante ſeptimum. Rabies canum diebus canicularibus homini eſt peſtifera. Solet ex morſu canis rabioſi *aquae timor* naſci; miſerrimum genus mortis, in quo ſimul aeger & ſiti & aquae metu cruciatur: hoc morbo oppreſſis exigua ſpes eſt. Praeſens vel unicum remedium eſt, hominem nec opinantem in piſcinam non ante ei proviſam proiicere.

Canum permulta ſunt genera. Utiliſſimi tamen venatici, paſtorales ſeu pecuarii, & villatici, quorum ſunt multae virtutes. Canis enim fidei ſi villa aut domus creditur, quis hominum clarius aut tanta vociferatione beſtiam vel furem prae-

praedicat, quam iſte latratu? quis famulus amantior domini? Quis ultor & vindex conſtantior? In venatu praecipua cernitur canum ſolertia & ſagacitas.

Equus & ad rem militarem idoneus reperitur, & ad vecturam, & ad curſuram & ad agrum colendum. Omnes olim equi feri fuerunt; & adhuc ſunt in quibusdam orbis terrarum partibus. Poſtquam vero hominum iuga ac frena receperunt, ad varia miniſteria condocefacti, tam multiplicem dominis uſum praebent, ut, ſi ex rerum natura tollerentur, ingens rei familiaris detrimentum, fortunarumque & commoditatum ſummam imminutionem paſſuri eſſent mortales. Equi Arabici, Africani, Hiſpanici, Neapolitani & Britannici, qui ceteris velocitate antecellunt, ad equitandum maxime idonei reperiuntur. Friſia & Dania praeſtantiſſimos equos rhedarios producunt. Pilis & corio equorum multi utuntur opifices.

55. Aves a quadrupedibus pedum numero, alis, roſtro, plumis, voce & generatione differunt.

Omnes aves bipedes ſunt; pedum tamen multiplex eſt varietas, prout aut duos, aut tres aut quatuor digitos habeant, qui aut disiuncti ſunt, aut cute quadam coniuncti.

Binae

Binae omnibus avibus alae sunt, quarum remigio omnes volant, praeter unum struthiocamelum. Plumae caloris & vestitus caussa datae sunt. Feruntur autem aves vario meatu, & in terra & in aëre. Ambulant non nullae, ut cornices; saliunt aliae, ut passeres, merulae: currunt, ut perdices, rusticulae.

Rostra quaedam aves habent breviora & adunca; aliae longiora & leviter obunca; aliae longiora & serrata; aliae acuta & longiora, aliae in coni figuram exeuntia, aliae brevia & recta. His rostris cibum capiunt. Aliae granis vescuntur, aliae carnibus. Graviores omnes fruge vescuntur, altivolae carne.

In plumarum coloribus insignis est varietas. Sunt niveae, ut oloribus; sunt atrae, ut corvis; sunt versicolores, ut columbis; sunt auro fulgentes, ut pavonibus; aliae caeruleas, aliae rubras, aliae flavas, aliae virides, aliae mixtas habent pennas ex variis coloribus.

Quum vox animalium quadrupedium incondita sit, aves contra multae cantu mulcent aures; omniumque voces, etiamsi cantum non edunt, facile a ceterorum animalium vocibus distinguuntur.

